M. CHRISTIANI AUGUSTI FREYBERGII

Epistola I.

de

ANNÆÆ DRESDENSIUM SCHOLÆ CIVIBUS,

DN. CHRISTIANO ERNESTO HAUBOLDO,

Dresdensi,

LIPSIAM X. D. OCT. ITURO,

inscripta.

DRESDÆ,
Literis Viduæ Stœsselianæ
1736.

Digitized by Google

Digitized by Google

NOBILISSIME & PRÆSTANTISSIME HAUBOLDI,

QUem Academia idoneum mox civem hoſpitio excipere poterat ROSCHERUM (1) Juvenem, adverſa bonis artibus, lenta mors nuper admodum (2) eripuit, cum incerta vitæ ſpe diu animam traxiſſet. Haud qvidqvam inexpertum omiſerat adoleſcens XXIII. annorum, ſperans, poſſe ſe temporibus ſupereſſe: & ne id, quod natura cogeret, ipſe ſibi acceleraret, eſculentis omnibus, potione quavis abſtinuerat, quæ latentem in occulto hoſtem irritare ad inſultandum, atqve ad perniciem corpori ultimo faciendam provocare poſſent. Erat in poteſtate medentium, utebatur conſiliis, probabat ea & ſequebatur: at novi etiam, delapſus qvippe cum illo iterum & ſæpius in neceſſarium de ſtatu morbi ſermonem, & ex libris inſuper, qvos collegit & reliqvit, abunde perſpexi, qvantam curam diligentiamque adhibuerit in valetudine ſua & recuperanda & tuenda. Vidi igitur ſatisfeciſſe

(1) Chriſtophorum Fridericum, *Mildenavienſem*.
(2) D. XII. SEPT.

prorſus juvenem naturæ, nihilqve feciſſe reliqvi, qvod ad ſanandum ſe & arcendam aditu etiamnum mortem pertineret. Sed miratus qvoqve ſum ultimam animi conſtantiam, vigoremqve illum τῶ ἴσωθεν ἀθρώπω, qvi, qvam nulla corporis pars percipiebat, ſalubritatem retinebat, ſpem ſcilicet, charitatem, fidem, libertatem vinculi expertem conſervabat, terreſtri domicilio carebat facile, & ad certa tantum ac æterna aſpirabat, donec ſupremum diem ipſum obiret tandem, ita ſane, ut non ex vita, ſed ex domo in domum videretur migrare.

Deſiit eſſe, qvem amavimus. Eundem habuit exitum, qvem alii, qvos è ſchola hac noſtra olim etiam imperioſa mors exterminavit in literarum ſtudio verſantes. *Peſte* conſumtum eſſe ſcio a. M DC LXXX. ADAMUM GUTHIUM, clam ſepultum XVI. D. JUL. & JO. GEORGIUM KOHLIUM, Dreſdenſ. bonæ indolis ac ſpei juvenem, qvem in noſtris qvoqve repono, liberalibus hic nimirum diſciplinis innutritum, anteqvam S. Crucis ædi proximam ad breve tempus (3) frequentaret ſcholam, & apud nos XXII. D. AUG. in

(3) Trimeſtre tantum; Maji enim D. XXI. in Albo nomen inſcriptum fuerat ſcholaſtico.

Digitized by Google

in mediis illis magnisqve terroribus humatum. CHRISTIANUS RATH, Dresdenſis, XXVI. D. MAII a. M DC XCIII. exanimatus eſt, JOANNES GOTTLIEB MECKE, Frauenſteinenſ. (4) D. XIX. JUN. comes ejus & ſocius inter umbras factus, JO. GEORGIUS PESCHEL, Dreſdenſis, *febri maligna* III. D. APRIL a. M DC XCIV. abreptus, qvo ipſo tempore & aëre morbido & turbido TOBIAM BECKSOELLNERUM, Frauenſteinenſem, *Witeberga* jacentem vidit & exangvem, ſuperiore vix anno civitati aſcriptum. Hanc calamitatem ſchola multis abhinc annis accepit: ſed me pari etiam fortuna perculſum, rerumqve ſimul humanarum inconſtantiam, & cariem qvandam integræ ætatis flori ſubito & improviſo ſupervenientem aliqvoties ſenſi invitus. Non tangam iterum iterumqve τὰ γενόμενα ἐν ταῖς ἡμέραις ταύταις: breviloqventem me tempus ipſum facit, & commemorationem ut dividam, poſtulat. A. M DCC XXVI. poſtridie Non. SEPT. adoleſcenti egregio, JO. FRIDERICO BOEHMIO vita ponenda erat; qvocum licet præclare actum videremus, nudatam tamen ſurculo ſtirpem, domum unico filio optimis ſtudiis dedito, ſumma-

(4) JOANNIS, oppidani Conſulis filius.

qve modeſtiæ fama, non mediocriter dolebamus una cum parentibus, atque inter nos ſollicitudines noſtras conferebamus. Novum vulnus, idemque graviſſimum accipiebam a. M DCC XXXII. indigna & *cruenta diſcipuli morte.* Militare jam *Optionis* munus fungebatur generoſus Dominus JOANNES FERDINANDUS a BUCHNER (5) eaque & ætate & virtute erat, ut bene de eo boni omnes ſperarent, cum in *Corſica inſula,* fato neſcio, an proditoris culpa? *globo percuſſus confeſtim extingveretur.* Digna ſit etiamnum infida terra, in qva tot oppidûm vicorumqve cadavera projecta jaceant, qvot præclara illuſtris adoleſcentiæ facta & exempla intercepit. Relinqvo *cineres & ſepulchra* Juvenum, *qvos laude dignos Muſa vetat mori,* atqve ad eos me converto, de qvibus non ſine cauſa dicitur: *ζῶντες τεθνήκασιν. Unum* hodie tantum nominabo, *Chriſtophorum Oluff, Chemnitienſem,* nec patria vero illa clara, nec pulchro nomine, nec luce dignum. Ex *Palæo-Dresdenſi* ſchola in *noſtram* migraverat a. M DC LXXXIX. D. XXVII. APRIL. *admiſſus,* ſed ſubſequenti mox homo ſine ulla religione ac fide

XXIX.

(5) DN. JOANNIS ADOLPHI, Centurionis regii, filius unicus, antiquo natus genere, a quo nobilis illa AUGUSTI BUCHNERI, Wittebergenſis Oratoris, progenies multum penitusque differt.

Digitized by Google

XXIX. D. MART. ſponte iterum ſua *elapſus eſt, oſor tandem veritatis infelix & impudens factus.* Hic niger eſto, ut cæteri vitiis obruti.

Tu virtutibus eluxiſti hactenus, ERNESTE OPTIME, & præcipuam habuiſti laudem *pietatis, induſtriæ, patientiæ, obſequii, honeſtatis, candoris ac pudoris.* Nemo me hoc oculis & auribus tuis dare putet, aut ſangvini, qvo cohæremus dudum; nam ſimiliter omnino de te exiſtimatur ab omnibus, qvi norunt faciem, & cum intuentur, totum ſibi conſtantem amplectuntur hominem, virilemqve in flore primo maturitatem, & venuſtatem cum dignitate conſpicuam mirantur. Felix es, & merito diceris ante alios, HAUBOLDI NOBILISSIME, qvi eximia hac nunc jam indole præditus earum laudum titulos, qvos deinde auctus ætate ſimul & honoribus perficies & abſolves, *ἐν παῤῥησίᾳ* olim ſuſtines, & magna omnium expectatione circumgeſtas longius ac profers. Itaqve tibi, qvod vere facere poſſum, gratulor, & libenter qvoqve gratulor, nec minus etiam nobis; qvod eum, quem neceſſe erat diligere, qvaliscunqve eſſet, talem habemus, ut libenter qvoqve diligamus, ſtudioſum ſcilicet earum artium, qvas nos maxime amamus, hoc eſt, optimarum. Cras e conſpectu noſtro abis, ANNÆqve do-

tuum

mum liberalibus disciplinis patentem, & æqvales, inter qvos nobilis charusqve ferebaris adhuc, relinqvis: nec vero insalutata matre hac & litterata ejus familia discedis, licet satis alias in dicendo exercitatus verba publice scholam ultimum visurus non feceris. Officio qvippe *gratissimi*, *benevolentissimi* atque *amicissimi* privatim functus es, cum tibi *solenne nostrum* servaturo tam multa, tamqve gravia adversarentur, & memet ipsum *mensam Philosophicam* jam apparantem *alia discipulorum ex aliis incommoda* circumvenirent, turbarent, impedirent, & a conatu deniqve universo plane abstraherent. Qvid autem obstat, cur non simplici te voto comiter, & pro nostro verissimo amore conditioni vitæ tuæ recenti sincere applaudam? *Acclamationem* pietate bis decies repetitam mereris, sed una eris contentus: *Vale, & res tuas ex sententia perage.* MIRISCHIANÆ DOMUI, FRATRIqve TUO doctissimo atqve humanissimo meis verbis salutem plurimam dicito. Vale. Dresdæ, IX. D. OCT. a. M DCC XXXVI.

Digitized by Google